

est, vitiositas, omnium); ex qua concitantur perturbationes, quae sunt turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione, et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. Important enim aegritudines anxias atque acerbis, animosque affligunt et debilitant metu; iidem inflammant appetitione nimia; quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi, et a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. Quae si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tum effertur alacritate, ut nihil constet, quod agat: ut ille, qui voluptatem animi nimiam, summum esse errorem arbitratur. Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est.

Mil. Cap. XXXV. Fortes et sapientes viri non tam praemia sequi solent recte factorum, quam ipsa recte facta.

Nat. Deor. III. 35. Hunc (Dionysium) nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero, diuturnoque morbo tabescentem interemit; atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogam illatus est; eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam et legitimam, hereditatis loco filio tradidit. Invita in hoc loco versatur oratio; videtur enim auctoritatem afferre peccandi, et recte videretur, nisi et virtutis, et vitiorum, sine ulla divina ratione, grave ipsius conscientiae pondus esset; qua sublata jacent omnia. Ut enim nec domus, nec res publica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis praemia extent ulla, nec supplicia peccatis: sic mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum. —

Mil. Cap. XXIII. Magna vis est conscientiae, magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Senec. Epist. 97. Nro. post 10 usque ad finem. Ut scias, subesse animis, etiam in pessima abductis, boni sensum,